



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quae sit voluntas Dei, quam rogare debemus vt fiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

DE VOLUNTATE DEI.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quæ sit voluntas Dei, quam rogare debemus ut fiat.*

2. *Quæ sit voluntas Dei, quam ut nos facere possimus, rogamus, sicut faciunt angeli in cælo.*

3. *Quæ sit vera abnegatio propriae voluntatis.*



Voluntas Dei quæ sit, Christus ipse explicat, Ioan. 9. inquit: Hæc est voluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die, & Apostolus 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Semper itaque petere debemus, ut hæc voluntas DEI fiat, ne ex parte nostra impediat: impeditur autem Dei voluntas, quando carnalem nostram voluntatem facimus & sequimur, quando plùs diligimus & eligimus mundana & carnalia, & tenebras peccatorum magis quàm lucem, Ioan. 3. Sic etiam Christus arguit etiam Hierosolymitanos Matthæi 23. Quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Sic Christus voluit saluum permanere Iudam, & vocat eum amicum, Matt. 26. Amice, ad quid venisti? Ipse autem noluit, sed desperauit, & se suspendit, Mat. 27. Act. 1. Ut igitur mala nostra voluntas pereat, & Dei fiat, rogamus, ut Deus donet fidem, quæ sit efficax in nobis, ut eius voluntas de salute nostra impleatur. Est quoq; hæc petitio summè necessaria: nam si Deus non dederit fidem, dilectionem, timorem &c. nunquàm hæc ipsius voluntas complebitur.

tur de salute nostra, sed ipse donat & paratus est dare hæc omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur, Nam ideò mandat prædicari Euangelium per totum orbem, Marci ultimo, Matt. 24. vbi nobis offert obsequium & beneficium, & vltro promittit salutem. Hæc non faceret, nisi voluntas ipsius esset, vt omnes salui fieremus. Igitur causa damnationis & peccati voluntas Dei non est, Psal. 5. Neq; volens iniquitate Deus tu es. Causa itaque damnationis & peccati est diabolus, instigans malum, & ipsa voluntas hominis obediens diabolo, qui corrumpit voluntatem hominis, vt illi consentiat, & non diuinæ voluntati. Vt ergo voluntas Dei in nobis praualeat, & efficiatur, compleatur de nostra salute, orandum est.

Voluntas Dei est, quam à nobis vult cõpleri, & illa est, vt seruemus illius præcepta. In his enim nobis expressit, quæ à nobis requirat fieri, quæ sibi placeant & quæ displicent. Ideò inquit Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. quoties ergo seruamus illius præcepta, toties eius voluntatem facimus. Ideò Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, id est, seruat illius præcepta. Rom. 12. vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacita & perfecta, Eph. 5. Intelligentes quæ sit voluntas Dei, id est, credere & illius seruare præcepta. Sic 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineteis vos à fornicatione, & sciat vnusquisq; vestras suas suum possidere in sanctificatione &c. Hæc igitur est voluntas Dei, quam nos facere debemus, & sic obediens esse Deo, sicut angeli sunt & tota cœlestis militia, in nullo resistentes. At inquis: Quis poterit implere præcepta Dei? ego non sum natura angelus, & caro odit legem Dei, Roma. 8. Nemo ergo poterit facere hæc Dei voluntatem: Respondeo, viribus humanis nõ est possibile: at Spiritui sancto, qui datur

adiuuat